



# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 Bruxellis  
Tel: 02/734.55.42

## NOVISSIMA INVENTA TECHNICA

etiam emolumento sunt LATINITATI VIVAE

Nulla est dissensio linguae Latinae cum rebus technicis. Ii, qui latinitatem concludere volunt in angustiis Ciceronianismi, qui dicitur, consulto praetermittunt eius ubertatem scientificam eximiam fuisse usque ad XIX<sup>um</sup> saeculum. Per multa vocabula, quibus inventa technica vel notiones novae designantur, primum Latine creata sunt ab inventoribus ipsis, antequam accommodarentur linguis vernaculis.

Facilius tamen est inventum quoddam primum Latine denominare, quam nomen Latinum idoneum his rebus novis tribuere, quibus adhuc tantum sunt appellationes vernaculae. Augetur difficultas, quod saepissime eadem res in singulis linguis vernaculis diversis vocabulis designatur. Quare in vocabulis Latinis creandis multa respicienda sunt, notiones undique sunt colligendae et caute agendum est, id quod non omittitur in perpaucis doctis circulis, ubi tales res tractantur, v.g. in Societate Latina Saravipontana.

Fieri tamen non potest quin impediamur aliquid nuntiare deficientium vocabulorum causa ! Quare in hoc nuntio utemur nonnullis verbis (crassioribus litteris signatis), quae fortasse nondum plane comprobata sunt sed tamen satis bene intelleguntur.

Nobis enim gaudio est nuntiare ordinatum Foundationi Melissae nunc praesto esse. In multis pensis conficiendis nos adiuvabit. Iam pleraque huius numeri scripta ordinatio tractata sunt. Textus in memoriam magneticam inseruntur, plectra alphabeticā digitis deprimento, ut solet in universis machinis scriptoriis. Continuo verba apparent in quadro visiflico, ut scriba menda animadvertere et corriger possit. Quae menda in memoria magnetica corriguntur, id quod multo facilius est quam in papyro. Verba automaticē disponuntur quolubet ordine a scriba praeselecto. Quo modo, cum augentur operis celeritas elegantiaque, tum minuuntur scribae cura et fatigatio.

Textus reservantur sive in disco (magneticō) flexili, sive in disco duro, cuius memoria multo maior est. Sed non tantum textus inseri possunt, sed omne genus lineamentorum. Delineator, dirigulum in mensa manu movendo, stilum electronice dicit in quadro visiflico, ubi apparent lineamenta, quae eadem facilitate corrigi vel deleri possunt. Lineamenta etiam intricatissima memoria tenentur et postea ubicunque textum interseri possunt.



Ordinatum est machina ignava, quae tantum programmatibus infusis valet. Per multa programmata iam praesto sunt, v.g. ad scribendum, ad delineandum, ad rationes dispensandas... Nobis mox erit programma, quo proximus Melissae numerus totus componetur. Quo ~~hunc~~ programmate, cunctis textibus lineamentisque primum in memoriam receptis, forma singularum paginarum in quadro visiflico advocatur, quam editor suo iudicio complet titulis, commentariis vel lineamentis in memoria reservatis. Omnes paginae sic bene dispositae memoria magnetica reservantur. Quae signa magnetica quandocumque traduntur impressorio LASERICO, quo accuratissime lauissimeque in papyro imprimitur litterae et lineamenta.

Multa alia ordinatio effici possunt, de quibus iam paululum cum sodalibus Societatis Latinae collocuti sumus; haec postea referemus.

Gaius Licoppe Bruxellensis

MELISSA tum longinquis cum proximis lectoribus cunctisque Latinitatis Vivae cultoribus iucundum festum Nativitatis atque annum novum faustum felicemque exoptat.

Secundam usum vere curvare, unum  
pro substantivo non habet nisi cum aliqua praepositione  
coniunctum neque aliud adiectivum recum habet:  
velat: in Latinum recte, ex Latino transfevere, et similiter.

## DE INSTITUTIONE LATINA IN SCHOLIS

Introductio huius GENOVEFAE IMME commentarii invenitur in Melissae numero 8°

Ut ordo in cogitationibus meis sit, haec uolo considerare: primum cur hoc utile videatur; dein quibus exercitationibus fieri possit; deinde quae difficultates obsint; denique possintne superari...

1) Latinam linguam ut vivam docere utile est... immo dixerim "necessere est" propter complures causas:

A) Aetatis nostrae discipuli et parentes et viri publici adsidue praedicant laudantque materias quae ad vitam cottidianam animos aperiunt, despiciunt pleraque vetera ut si inutilia essent (quia ita progressui confidunt ut confundant res humani cultus cum frigoriferis armariis ceterisque instrumentis technicis quae meliora sunt si nova sunt!). Si ergo volumus Latinam doctrinam non deleri, si volumus supprimere iniustum contemptum parentum collegarumque qui linguis recentes solas superbe appellant "vivas", Latinum "mortuum" et "septuaginta" reputant, omnibus manifestum facere debemus Latinum esse sermonem vivum vivis methodis discendum. Haec sola salutis via est, ne mox omnes discipuli a nobis et a Latino aufugiant.

B) Nostrae aetatis discipuli longos patiensque labores vix tolerant, effectum praesentem sine mora sentire volunt: Certe satis diuturni temporis est profluenter loqui, neque omnes ad id pervenient; at breves simplicesque sententias dicere et inde gaudere celerius possunt quam textum magni scriptoris recte intellegere.

C) Nostrae aetatis discipuli sunt maxime varii mutabilesque: Ne mentes eorum divertantur ad muscarum volatum, opus est exercitations maxime variare et alternare, modo ad Latinum classicum modo ad Latinum vivum: Qua alternantia puerorum taedium facilis vincitur.

D) Si rem modo latiore consideramus, maxime utile Europae et vinculis inter gentes coniungendis erit si ubique professores pueros ita paraverint ut Latina colloquia (simplicia, ut liquet) habere possint.

Sunt videlicet aliae causae quibus Latinitatis vivae in schola adhibenda utilitas demonstrari potest. Hae vero, quas dixi, sufficient... ne vos diutius retineam. Iam ad secundum punctum veniamus.

II) Exercitations ad Latinum vivum docendum sunt complurum generum: Has ex. gr. experta ego sum:

A) Possumus iam a prima schola discipulos cum brevibus sententiis Latinis accipere (atque eas gestu dilucidiores facere, ut solent homines meridionales... et linguarum vivarum professores quoque!): "Salvete, discipuli! Intrate! Considite!" et cetera huiusmodi: Quae prima verba discipuli ex improviso audientes solent plerumque stupere et simul gaudere quod intellegant! Hae sententiae in dies fient paulo difficiliores, cum paulatim vocabulorum iam auditorum lectorum memoria augeatur.

B) Possumus, postquam breve clari scriptoris excerptum recitavimus (eis textum simul oculis in libris suis sequentibus), id Latinis verbis facilioribus explanare et rogare quis iam summatis intellexerit, atque textu verso et libro clauso, possumus de eo rogationes breves proponere, in quibus videlicet vocabula omnia iam nota sunt, et discipulos incitare ut ipsi brevibus sententiis Latinis respondeant.

C) Possumus eos incitare ut suis verbis narrent (ore vel in scripto) fabulam quae pridie vel paulo antea explanata et versa est.

D) Possumus eos incitare ut ipsi seligant argumentum liberum de quo disputare placeat; tum vocabula utilia in tabula nigra ipsi inscribam, ita ut ea in promptu habeant et in sententiis suis facile adhibeant. Exercitatione fere simili (paulo difficiliore sed iucundiore) possumus huic argumento disputando substituere argumentum brevissimae fabellae comicae, in qua voluntarii partes agant; necesse vero est magistru sibi partes reservet, ut eos secum adtrahat et improvisorum saenicorum silentia vitet.

E) Possumus eos incitare ut phonodiscos phonocasetasque Latinas audiant atque ut ipsi pridie feriarum Latine canant.

F) Possumus eos incitare ut per Latinum sermonem (sicut iam solent per linguis recentes) amicos sibi faciant alienigenas sive epistulas sribentes sive phonocasetas imprimentes. Pauci vero sunt, (quia plerique pigri sunt) qui proprias epistulas suas scibere velint; epistulam vero totius classis communem ad aliam classem in aliis terris versantem libenter componunt.

G) Possumus eos incitare ut commentarios suos conscribant, sicut mei "M.A.S." consribunt.

Tot existunt exercitations variae ut singulae enumerari non possint. Ad tertium igitur punctum iam veniamus!

III) Difficultates ingentes obsunt:

A) Propter programmata: In Gallia saltem (et alibi aliquid simile esse opinor) in programmatibus scholasticis classicorum scriptorum explanationes et versiones indicuntur, non Latinitas viva. Atque in probatione quae "Baccalaureal" dicitur candidati textus vel orali modo vel scripto vertere debent, nihil aliud. Ideoque, ut eos recte paremus ad probationem, maiorem temporis partem Latinitati classicae dicare debemus; quod nisi faceremus, et discipuli et parentes et lyceorum moderatores et summi inspectores... et "conscientiae nostrae vox" ipsa nos severe reprehenderet.

Hanc difficultatem partim vito cum unam ex ambabus classibus, quae mihi de Latino committi solent, petam "scientificam", non "litterariam": Sic, quia Latinum non habent in probatione nisi facultativum, mihi licet extra programma digredi... Paradoxale vero est, quia, ut Latinitatem vivam doceam, debeo cupere et petere discipulos quibus Latinitas quasi nullius momenti (vel saltem inferioris momenti) videtur!

B) Propter horari: In lyceorum classibus, solum tres horae hebdomadariae sunt. Si has ita dividam ut tamen programmati maiorem partem linquas, quid restat ad Latinitatem vivam? At loquendo, immo cottidie loquendo aliquis loqui discit, quod de Latino sermone in schola videlicet fieri non potest! Sic adsidue curro a textu ad grammaticam, a grammatica ad colloquium, a colloquio rursus ad textum explanandum, et in hoc adsiduo cursu mihi video nihil posse recte facere, quia iam aliud est faciendum! Quae res ad defensionem et quasi ad desperationem adducit.

C) Propter discipulos et collegas: Nam collegae plerique (saltem in lyceo meo omnes!) Latinitatem vivam

ignorant et ei diffidunt et volunt eam ignorare. Plerique discipuli certe gaudent quod hoc novo modo discunt; nonnulli vero, quasi iam ita inveterascant in suis prioribus consuetudinibus ut eas mutare non possint, repugnant et sic murmurant : "Per tres (vel quatuor) annos ita adsuefactus sum a professoribus ut textus antiquos verterem. Cur nunc aliud faciam, quod nullus professor iubet nisi tu?"; vel eidem contumaces, postquam contenderunt non omnia Latine dici posse et te rogarerunt quomodo ex. g. dices quod "automobile" Gallice diceretur, te statim respondentem "autoraedam" vel "autocinetum" esse, contemptum despiciunt et "Anteriores professores, inquit, me semper docuerunt non esse Latinum quod Cicero Caesarne non dixit."; vel si eos horteris ut eant ad seminaria Latina, vel tacent vel respondent

: "Ego iturus sum ad Britanniam : Satis est". Nam quandam adulescentuli dicuntur novatores, re vera multi ex eis imitantur quae plerosque agere vident, non audent rem novam temptare.

Adde factiones politicas, quae eos ad rebellionem, qualiscumque sit, incitant.

Difficultates istae, quae sunt ingentes, suntne insuperabiles? Hoc Senecae meum facio : "Multa non quia difficultia sunt non audemus, sed quia non audemus difficultia sunt." Audendo et temptando et perseverando spero montium moles sublevari posse. Ideoque (non sine spe quadam desperata!) operas sudoresque meos dare pergo ... Aliquando fit operae pretium.

Genovefa Immè.

# NVNC EST GAVDENDVM

Iacina VERREET, Belga magistra, quae Montibus (Mons) in Athenaeo Regali linguam Latinam docet, etiam voluit institutionem Latinam in schola vividiorem reddere. Hic suam experientiam nobis narrat:

Sermo Latinus, lingua uere uiua in Schola! Vel quomodo olim periodicus Latinus Nunc Est Gaudendum natus est.

Die quodam Mensis Septembri anni MCMLXXX maximo cum gaudio discipulos, quos annis anterioribus docueram, recupero. Maxima in laetitia de programmate quarti anni disputamus. Et subito in animo meo cupiditas surgit ueterima et secreta : periodicum Latine conscribere.

Qua re proposita, discipuli statim excitantur et agitantur et de titulo eligendo, et de rebus tractandis, et de specie tegumenti, et de multis et variis rebus vehementer deliberant. Silentio reducto, statuo ut una ex quattuor horis institutionis Latinae ad periodicum reservetur.

Quam breves videntur quinquaginta minutae, cum, tunc imperiti, scripta Latine transvertere inquitdamus ! Verba noua et antiqua, vocabula propria, regulae grammaticae plerisque desunt. Id minime refert ! Per horas otiosas, in schola et domi, laborem diligenter persequimur, nam tempus statutum mox adest : Primus fasciculus die Sancti Nicolai edetur !

Opus tandem confectum est et trecentis exemplaribus impressum est. Labor tamen nondum perfectus est. Nunc paginae compaginanda et colligenda sunt, et fasciculi religandi sunt. Ad hoc, cum multi homines ad nos scripsissent, computus nummarius Athenaeo instituendus est

et fasciculi mittendi sunt.

Plurima sunt munera, et intelligo rerum optime administrandarum tempus esse nisi submergi volumus. Discipuli primum textum Francogallice scribunt et indicem verborum quae ignorant componunt. Evidem sententias Francogallicas muto ut lingua Latina quam rectissime sonare possint, et indicem verborum non notorum compleo. Deinde, cum illi Latine transuerterunt et imagines aut photographemata addiderunt, machina textus Latinos scribo, quo officio ipsi antea fungebantur, sed cui diutius insudabant ! atque in duodeviginti paginas omnia comprimo, res haud semper facilis !

Post plures annos, -fasciculus XXXIII modo editus est, haec experientia multimodis maximi momenti mihi videtur, et veteres discipuli ipsi id libenter fatentur : virtutes creationis, imaginationis, devotionis, fidei, cooperationis, praestationis, uoluntatis ostenderunt et auxerunt; atque, sententia eorum, lingua Latina res uetus in puluere saeculorum praeteritorum condita non iam est, sed modus eloquendi eis apparuit, uelut aliae linguae uiuae extraneae.

Iacina Verreet  
Professor Montibus.

# De Aquaeductu Segobiensi

Doctor Eustasius SANCHEZ VILLARAN Matritensis litteris nos rogavit ut lectores certiores faceremus de quodam errore in numero 8° Melissae. Eius enim nomen a calce scripti, cui titulus "De Aquaeductu Segobiensi" radi debet, cum ipse hoc non scripsisset sed schema narrationis tantum attulisset.

# PAGINA PHILOLOGORUM

*instituto*

Georgius Andreas BERGERE, Parisiensis, nobis proponit textum paucis notum, de quo ipse scripsit haec : "est excerptum ex epistula missa a quodam presbytero Hispano anno MDCCCVII ad cunctos reges principesque Europae 'De urbe Latina condenda'. quae ubs communis futura esset inter omnes gentes Europeas. Hanc epistolam quam forte in libro vetere inveni spero fore ut iucunda vobis videatur dignaque quae in Melissa edatur. In ea enim haud pauca leguntur quae non minus vera atque utilia nunc tunc videantur".

## DE URBE LATINA CONDENDA

¶ Anno MDCCCVII\*, post tot et tam taetra bella pace tandem inter omnes gentes Europeas conciliata, dum tantis malis remedium a multis quaeritur, presbyter quidam Hispanus, nomine Michaël Olmo, consilium singulare iniit libelli scribendi ad cunctos reges principesque Europae, quo iis suadere conaretur, ut urbem latinam communi ope atque opera conderent.

Quod consilium quomodo sibi in mentem venisset, in epistula ad unum ex amicis suis missa sic narravit :

"Cum, fatali quadam nocte, vespertinam lucubrationes plus solito lectione latina produxissem, ut cubui, statim a primo somno, jamque post medianam noctem, nempe cum somnia vera sunt, ecce civitatem latinam novam mihi videre videbar et lustrando peragrare, refertam doctis et frequentissimis viris, feminis ac pueris; qui, cum hoc moris vestium reliquarumque consuetudinum hodiernarum Europae haberent, latine tamen plane et integre loquebantur. Civitatis nomen ROMA-TULLIA."

"Tam mirabili visione postquam jucundissime fuisse recreatus (ea enim somniabam quae vigilans volo), tamen prae gaudio somno solitus sum, quem numquam cetera nocte repetere potui. Verum insedit ex illo in mente diebus multis adeo firma atque fixa species nocturni prodigii, cum vehementi quadam cupiditate restituendae latinitatis ut, illi tandem veluti cuiusdam numinis arcano consilio et admonitioni concedens, libellum qualemcumque de lingua latina colenda, et civitate latina in aeternam doctae linguae doctique et felicis aevi memoriam fundanda, edere non dubitaverim..."

Quo ex libello ipso haec exerpta :

"...Quae omnia agitant mihi id consilium fuit vos, o maximi Principes, optime de hominum genere universo merituros si, ad restaurandas doctrinas atque sanctae vestrae concordiae memoriam consecrandam, Civitatem, licet principio parvulam, collatis sumptibus, fundetis, ubi homines christiani, latino sermone callentes, ex toto orbe praemiis atque honoribus acciti, propriis etiam legibus moniti, latinam linguam cum posteris suis colere et loqui in aeternum sponte sua possint.

Notissimum est sapientes viros jam post multa saecula desiderasse, uti inter notas linguas una tantum ad omnium, vel saltem doctiorum hominum, usum destinaretur... Et quidem, si reliqua humani ingenii studia artesque perpendamus, plerosque populos veluti eadem vi et tanquam conjurato agmine ad perfectionem vitae contendere videbimus. Ubique igitur cultorum hominum, in Europa praesertim, vesciendi, aedificandi, navigandi, psallendi, pugnandi demum et ludendi simillima est ratio ac mos; religio deinde origine sua, atque ethica communis est; doctrinarum et artium eadem principia apud omnes aequa recepta sunt; nova denique in quolibet genere inventa, statim, hac animorum et vivendi celeritate a ceteris usurpantur : adeo ut praesentem Europam,

multos quoque Americae populos, facile eamdem familiam quisque dicere possit, nisi hac vel maxime ratione homines dissiderent, qua nempe illorum societas potissimum deberet conglutinari, hoc est lingua...

"Ubique, scio, hodie viget linguarum exterarum studium. Ista autem adipiscendarum linguarum cura, maximo labore juvanda, id damni fert secum, quod cum Germanus Italiam aut Gallicam, Gallus Hispanam, Russus denique Anglicam aut quamvis aliam, multa opera, et aevi parte studiis potioribus subtracta, consequitur, unum tantum ad communem hominum societatem gradum facit, frustra reliquos, nempe linguas ceteras, vel si longissima faveret aetas, prosecuturus...

"Ideo sapientes communem linguam, vel omnino novam, vel ex jam notis in id usurpatam, expetivere. Quorum alterum quidem, scilicet uti novus aliquis sermo fabricetur, si (quanquam eruditissimos viros Leibnitium, Lamium, Gesnerium, Fagetium aliosque patronos habet) veluti inane commentum rejicietur, alterum sane dubitari non potest quin facile obtineatur... Quo in linguarum delectu atque discrimine, nescio an adeo insipidus aliquis esse possit, ut latinam ceteris omnibus quas viventes appellamus non anteferat.

"Quoniam tamen mortalium omnium haud facile una est opinio, magnique refert, in his stabiendiis quae ad communitatis humanae bonum attinent, multitudinis suffragia gratiamque captare, aequo animo patimini, o maximi Principes, hic me nonnulla conferre pro latini sermonis praestantia. In eo enim tota mea vertitur sententia ut illum, ab istis hodiernis commodioris sapientiae asseclis adeo neglectum, maxime colendum proponam atque, vobis juvantibus, perpetuo conservandum et in pristinos honores restituendum.

Sua cuique populo lingua arridet, nempe Gallo Gallica, Anglo vero Anglica : sua quoque communis usus honorem merito adjudicantur existimat. Immo Gallicae etiam exter nonnumquam patrocinantur, illam, propter artissimam ejus atque, ut creditur, faciliorem syntaxim, humanae consuetudini magis idoneam arbitrantes; quod quam longe secus sit postea dicam... "Quo alio nisi Gallico sermone, aiunt, Bossuetius catholicae veritatis dogmata utilius explicuisset?" Non illum copia, non dignitas, non excellentia vernaculae linguae, sed convenientia magis et opportunitas impulit, ut illam praeferret; neque ipsi linguae tribuendum, si quid tanto quisque in arguento talibusque ingenii, viri clarissimi docte atque ordinate protulerunt : nisi dicere velimus Miltonum, Fenelonum Tassumve non adeo facunde ac poetice Maronis lingua loqui potuisse. Namque, ut fere omnes omittam theologos, jurisconsultos ac medicos hac lingua usos, non illa Cartesio defuit, non Vivesio, aut Baconio, aut Erasmo, aut Neutonio, aut Leibnitio Linnaeove, ut philosophica adeo docte axplanarent; neque Marianae aut Freherio aut Sepulvedae, ut historica; nec Vanierio demum, ut rustica;

allisque innumerabilibus, ut domestica, publica, heroica, sacra, musica, bellica, erudite, copiose, illuminate venustate docerent, et quidem magna cum Sapientium totius orbis, nec minore futurae in perpetuum memoriae laude...

"At deerunt in Romano sermone plurima novarum rerum vocabula". Hic falluntur imperiti, putantes multitudinem tantum nominum, earum praecipue rerum quae magis usui vitae subjiciuntur, facundiam sermonis constituere et copiam. Advertendum est hujuscemodi vocabula omnium esse linguarum ac gentium, et nova ubique novis nominibus signari. Sicut cottidie evenit ut recens exortae res, primum ab his qui invenerunt, deinde a reliquis populis, nulla grammatices aut philosophiae lege vetante, iisdem vel parum diversis nominibus nuncupentur; neque egestiores Latina aut Graeca lingua (quas penes eadem potestas est nomina illa usurpandi) inde dici possunt, idcirco quia veteres illi, res quae nullae omnino tum temporis erant, non nominabant..."

Hactenus quae nos quidem ex hoc libello invenimus cuius neque qui fuerit exitus neque num illorum maximorum Principum quos invocabat quisquam ei rescriperit comperire nobis non licuit. Utique ex illa ROMA - TULLIA quam somniavit Michaël Olmo num desiderium modo, nihil spei supererit?

G.A. BERGERE.

**Theodericus SACRE** carmina Latina, quae Iosephus TUSIANI Neo-Eboracensis contexuit, collegit et hoc anno edidit. Cuius libelli index est:

# IN EXILIO RERUM CARMINA LATINA

Bibliotheca VITAE LATNAE (Aubanel- Avignon)

Infra nobis proponit novissimum ineditumque poematum:

## OCCASUS BRUXELLENSIS

Grates redde tuas, Sol, teneris deis  
qui lumen tibi, non mentis imagines,  
concessere: hominum nescis atrocias,  
nescis nostra tremenda ultima crimina.  
Caelo corpora humi mortua despicias  
sed matrum lacrimae, sed lacrimae patrum,  
fortunate!, nihil significant tibi.

Iosephus TUSIANI Neo-Eboracensis

*Lucas WILLEMARCK, Fundationis Melissae secretarius, usque ad finem huius anni particeps erit legationis Belgicae ad sedem Foederatarum Nationum. Neoeboraco ad nos misit hunc commentarium, quo commemoratur*

## DIES NATALIS FOEDERATARUM NATIONUM

Iam quadragesimus annus peractus est, cum populi omnis orbis terrarum horroribus secundi belli mundani exterriti atque consilio rebus gentium melius moderandi moti ad societatem omnium populorum condendam convenerant, ut pax perpetua hominibus tribueretur.

Quae societas, cui nomen foederatarum nationum datum est, maxime duobus institutis gubernatur, quorum alterum conventus generalis appellatur omnibus e rebus publicis mundi compositum, alterum concilium securitatis e quindecim, quae praeter quinque membra perpetua, res publicas Americanorum, Sovieticorum, Anglorum, Francogallorum Sinicorumque per binos annos eliguntur.

Quae cum ita essent, conventus generalis foederatarum nationum potentes mundi hoc anno Neoeboracum vocavit ut vitreo in labyrintho una diem natalem celebrarent.

Ita evenit ut praesides regesque undique sedem neoeboracensem peterent ut suam quisque caneret laudem foederatarum nationum, quae si non existarent, quis est qui neget populus multo magis lupos futuros fuisse.

At accidit perincommode quod somnia, vota verba pulcherrima non semper cum rebus ipsis congruunt, quia iterum iterumque rerum publicarum moderatoribus nihil maiori est curae quam ut potentiam consequantur, etsi talia

perficere non possunt nisi <sup>in</sup> armis virtutibus legibusque <sup>Urb</sup> anteponendis.

Concilium enim securitatis, quamvis olim custos pacis creatum esset, cum quinque membra eius perpetua varias propter mutuas dissensiones raro operam paci una servandae darent, sitim belli evellendi non expletiv.

Tot tantaeque sunt discordiae Americanorum et Sovieticorum ut concilium securitatis impediatur quominus munere belli proeliique vitandi fungatur. Accedit quod illud concilium, rebus sic stantibus, etsi sibi de lege lata summum imperium non deest, vix tamen ulla vera certaque consilia pacis servandae armorumque deponendorum cepit, quia consensus membra perpetua defecit.

Quamvis nullo modo dubitari possit quin a foederatis nationibus conditis maxima spes pacis <sup>ternae</sup> in dies minor habita sit, oportet tamen, cum Neoeboraci bellum gerentibus occasio secreto de induitiis agendi praebeat, spem non omnem demittamus.

Quin etiam quot bella per tacitos pacis interpretes neoeboracienses non indicta sint, dici non potest.

Lucas WILLEMARCK Lovaniensis

*Maximo nobis gaudio est scriptum in lucem edere ab Alberto GRISART missum. Plurimis notus est ille professor emeritus athenaei regalis Viroviaci Eburonum (Verviers in Regno Belgico) et universitatis Canadensis Laval (in urbe Quebeco). Albertus Grisart, doctor philologiae classicae universitatis Leodiensis, diutissime Caesaris opera perscrutatus et diligentissime conatus est demonstrare quae fuissent Caesaris itinera per Galliam Belgicam. Librum Francogallice conscripsit de "Portu Itio et Caesaris navigationibus in freto Gallico", qui proximo anno in publicum proponetur. Recentius Latine conscripsit synthesis suarum indagationum de Caesaris itineribus per Galliam Belgicam, quae post "Portum Itium" in lucem edetur. Cuius operis nobis nonnulla excerpta infra proponit.*

## DE ATUATUCORUM POPULO ET CLARISSIMO OPPIDO.

I. DE POPULO. In Caesaris bello Gallico (IV, 29,4-5) legimus Atuatucos partem minimam fuisse Cimbrorum Teutonorumque qui "custodiam ex suis ac praesidium sex milia hominum una reliquerunt". Qui duo populi Celtici, e Scandinavia profecti, postquam multos annos in media Europa uagati sunt, in occidentem uersus, Danubium sequentes, ad huius fluminis fontes peruererunt et ~~sandem~~ Rhenum circa annum 110<sup>um</sup> a. C.n. transierunt; quibus omnibus cuncti assentiuntur.

Antea autem Remi Caesari dixerant (II, 4,2) : "Belgas ... esse solos qui patrum nostrorum memoria, omni Gallia uexata, (1), Teutones Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuerint; qua ex re fieri uti earum rerum memoria magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in re militari sumerent."

De qua re Camillus Julian, quem secuti sunt multi auctores, ratiocinationes et solutiones sibi finxit, implicatas et intricatas, quae meo quidem iudicio accipi nullo modo possunt. Secundum ~~enim~~ Cimbri sine Teutonis (id quod Caesar et Remi simul redargunt : ( II, 4,2; 29,4) Rhenum transierunt prope Manhemum (Mannheim) in ducatu Badeniano (Baden) inter Mogontiacum (Mayence) et Carolopruham (Karlsruhe); tandem in Francogalliam per Rhenianum-Palatinum et per Lotharingiam (Lorraine), Belgis ~~ergo~~ non offensis (!) contra id quod Remi adfirmant. Secundum ~~autem~~ ~~eundem~~ Camillum Julian, post proelium ad Arausioñem (Orange) anno 105<sup>um</sup> a.C.n. Cimbri et Teutoni discesserunt, Cimbris sibi Occitaniam (Languedoc) et Hispaniam reseruantibus, Teutonis Francogalliam praedandam uel domandam accipientibus (quam tamen iam antea percurrerant!); sed, a Francogallia in septentriones uersus ad "Belgium" redeuntes, Teutoni sine Cimbris (id quod denuo Caesar et Remi redargunt) Belgas tum solum offenderunt : "Teutoni ab eorum territorio remoti sunt. Id unum obtinere uel capere potuerunt : regionem Namurci (Namur)". Sic concludit Camillus Julian.(2).

In hoc ratiocinationis modo discrepaniae incredibiles esse mihi uidentur, praecipue inter "Teutoni ab eorum (id est Belgum) territorio remoti sunt" et "capere potuerunt regionem Namurci". Nam ideo, ut, a Francogallia uenientes, Namurcum attingerent et deinde a Namurco in Francogalliam reuerterentur inter annos 105<sup>um</sup> et 102<sup>um</sup> a.C.n., Teutonis bis transiendi fuissent Belgae (non solum saltem "Belgium", quod re uera totum in Francogallia situm est inter flumina Séquanam et Mátronam usque in Atrébates). Porro Remi, quorum patres huius euentus aequales et finitimi fuerant, adfirmant Teutonos et Cimbros intra Belgum fines ingredi non potuisse.(3).

Contra Camillum Julian mihi solutio simplicior et dilucidior accipienda esse uidetur : Teutoni Cimbrique circa

annum 110<sup>um</sup> a.C.n. Rhenum medium transierunt, id est inter urbem Wesel et Confluentes(Koblenz), et eo consilio, ut in Francogalliam irent, magnam uiam naturalem et ad bella et ad mercaturam aptissimam securi sunt, quae "via inter Samaram (Sambre) et Mosam" uocatur hodie quoque et pars est antiquissimae uiae quae a Colonia 'Cologne) ad Samarobruam(Amiens) ducebat per eam regionem quae sub Mosa et Samara in meridiem uersus sita erat : Lenione(Leignon), Cella(Gendron-Celles), Heria super Mosam (Heer-sur-Meuse), Dothora (Dourbes), Cimacum (Chimay).

Prope Cimacum Teutoni et Cimbri Belgas quosdam offendunt, qui in itinere suo ad Francogalliam uersabantur, id est Neruios (4) : nam Cimaci occurabant fines Neruiorum et Atuatucorum; uirtus autem militaris Neruiorum satis nota est adhuc sub Caesare. A Neruiis ergo repulsi, Cimbri Teutonique in orientem uersus iter flexerunt ad Treueros, qui Galli uel Celte (cf. I,1,1), sed non Belgae erant; deinde in meridiem uersus per illud celeberrimum "foramen" quod hodie adhuc "la trouée de Metz-Nancy" uocatur, id est per Mediomaticos (Diuodurum siue Mettis=Metz) et Leucos (Tullum uel Tullium=Toul et Nantiacum=Nancy); tandem in Francogalliam peruererunt : sic in Belgarum nullius ciuitatis fines ingredi non potuerunt neque debuissent. Sed, priusquam cursum ad Francogalliam a Belgis rursus renouarent, Cimbri Teutonique, ideo, ut praedam usque eo captam tuerentur, "custodiam ex suis et praesidium sex milia hominum una reliquerunt" (II,29,4) in eo ipso loco (id mox probabitur) ad quem Caesar circiter annis L postea, id est anno 57<sup>um</sup> a.C.n., ad oppidum Atuatucorum aggrediendum ueniet. Atuatuci enim hoc anno, ex Neruiis redeuntes, in quos ad proelium prope Sabim flumen nimis tarde aduenerant (II,29,1), congruenter naturae refugerant in oppidum firmissimum et proximum fines communes cum Neruiis prope Cimacum, ceteris castellis oppidisque desertis (II,29,2). Id autem oppidum quod elegerant Atuatuci eo consilio, ut sese contra Caesarem defenserent, expugnari non posset, "cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet", nisi longa obsidione tali quallem Romani adhibere solebant. Nam ab anno 110<sup>um</sup> a.C.n. usque ad annum 57<sup>um</sup> a.C.n. Germanorum Cisrhenanorum oppugnationibus restiterant. Porro Caesar paulo ante (II,6,2) explanat Gallorum eandem atque Belgarum oppugnationem esse (Atuatuci autem ipsi Galli erant sicut Belgae) et eos obsidionis artem non nosse, sed subitum omnibus copiis impetum magnum et tandem post aliquot impetus frustra factos alio abire. Ceterum Atuatuci nullam adhuc occasionem habuerant modum obsidionis Romanorum cognoscendi (5). Ergo uerisimiliter sperabant, quoniam expugnari non poterant, Caesarem quoque, sicut Gallos et Belgas, alio abitum esse, tanto magis quod "post eorum (id est Cimbrorum Teutonorumque) obitum, multos annos a finitimis exagitati, cum alias bellum

# De IBERICA RELIGIONE ante Romanos quid notum sit.

7

Ad Ibericam religionem explorandam, his tribus modis uti possumus : Litteratura, Archaeologia atque Epigraphia.

Sed tamen Graeci Latinique auctores pauca sparsim de ea tradunt, et desunt scripta lingua indigena.

Ne Christiani quidem auctores, nisi S. Martinus Dumensis, qui plus de Romanorum religionis reliquiis quam de Iberica religione tractat. Multae votivae inscriptiones inventae sunt, sed tantum deorum nomina tradunt, et raro eorum natura. Aliquando ob philologicam analysis ea natura reperitur.

Archaeologia non multo uti possumus, quia in Hispania rariora sunt idola quam in Gallia aut in ceteris provinciis. Hispanorum deorum imagines tantum duodecim inventae sunt.

Religio in Hispania videtur fuisse magnam partem similis religioni in Gallia, quamquam quaedam dissimilitudines sunt; apud Hispanos, druides, idola atque templa fere omnino desunt. Etiam Numantinorum Vacceorumque opiniones de vita futura dissimiles Gallorum opinionibus sunt.

Contra, non solum vaticinationis methodi sed etiam v.g. arborum cultus, fere iidem ac in Gallia et tam propagati quam illic sunt.

Magna sacra collectiva atque saltationes rituales faciebant. Varia animalia censebant sacra.

Epigraphia magis quam CC deorum nomina tradidit; contra in litteratura tantum VI invenimus, assimilata Latinis deis plus minusve. Ex hoc polytheismus atque animismus deducitur.

Maxima epigraphicarum inventionum copia in regione septentrionali occidentali est. In ea regione lente et tarde Romani penetraverunt. Contra in regione meridionali orientali tantum quaedam lapidea tabula, in qua cuiusdam dei indigenae nomen inscribitur, inventa est. Generatim deorum nomina tantum semel testificantur, quod etiam in Gallia frequens est, nam plerique deorum regionales sunt. Endovellicus et Ataecina, de quibus infra paucis dicemus, maxime culti erant.


Hispanorum et Gallorum pantheon simile est. Praesunt tres dii : unus qui artium inventor est (Mercurio assimilatus), alter caelestia regebat (Iovi assimilatus), tertium bellicosus (Marti assimilatus). Erant etiam dei infernales (v.g. Endovellicus), atque numina fontium, arborum, etc.

CENTRALES POPULI : Celtiberorum religio valde male nota est. Probabiliter deerant sacerdotum collegia, tam praestantia apud Gallos et Hibernos. Quod de Germanis Caesar dixit, applicari potest : "Neque druides habent qui rebus praesint" (BG, VI,21)

Neque suos deos templis concludebant; apud montes aut fontes, semper sub divo inmolabant.

Civitates collectiva sacrificia faciebant, sicut Germani. Florus (I,34, 12) de Numantinis ~~ea~~ dicit : "Compulsi primum ut destinata morte in proelium ruerent, cum se prius epulis quasi inferiis implevissent carnis semicrudaet et coeliae". Etiam Diodorus (XXXIII,7,2) narrat ut Viriatus, peractis epulis, "θυσας δε τας θεας και τα νομιζομενα παρειησται ποιησας ...". Talia etiam Germani Gallique faciebant. Erant etiam montes sacrati. Etiam saeculo primo p.C.n. querchetum quoddam venerabatur. Plinius (NH XVI, 249-251) describit cultum arborum a Gallicis druidibus peractum : "Non est omittenda in hac re et Galliarum

## LOS IBEROS



## EUROPALIA 85 ESPAÑA

admiratio. Nihil habent Druidae - ita suos magos appellant - visco et arbore in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine earum fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Graeca possint Druidae videri. Enimvero quidquid adgnascatur illis e caelo missum putant signumque esse electae ab ipso deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu et repertum magna religione petitur et ante omnia sexta luna, quae principia mensum annorumque his facit, et saeculi post tricesimum annum, quia iam virium abunde habeat nec sit sui dimidia. Omnia sanamtem appellantis suo vocabulo, sacrificio epulisque rite sub arbore comparatis duos admovent candidi coloris tauros quorum cornua tum primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago. Tum deinde victimas inmolant precantes, suum donum deus prosperum faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicunque animalium sterili arbitrantur, contra venena esse omnia remedio."

Probaliter, similiter apud Hispanos factum erat; arborum cultus valde propagatus apud Hibernos Gallosque erat; in Gallia inventae sunt aerae Fago, Sexarbori deo atque Sexarboribus consacratae. Ei populi valde hospitalites erant; Diodorus (V,34,1) dicit : "Οις δεαν οι ξενοι συνακολουθησωσι, τοιτους επαινουσι και θεοφιλεις πγουνται". Hoc non solum hospitalitas sed verum hospitium religiosum videtur. Credebant etiam animalia aut res diversas quibusdam hominibus mittere deos; eos homines dei tutabantur. Florus (I,33,14) dicit : "Olyndicus, qui hastam argenteam quatius quasi caelo missam vaticinanti similis omnium in se mentes converterat."

Anno 152 a.C.n.cum Marcellus Nertobrigenses obsideret, "Νερτοβριγες δε, προσαγομενων αιτοις μεχανηματων αμα και χωματων κηρυκα πεμψαντες λυκην αντι κηρικειου περικειμενον ητευν σογγωμην". (App. Ib,48). Fortasse ex hoc facto deduci potest quemdam deum inferum extitisse cuius signum, apud Gallos, lupi cutis erat. Ei erat nomen "Sucellus" - qui optime percutit -. Iam multae aerae funerariae lupis insculptis inventae sunt. Ergo, certe quemdam relationem inter lupos et mortem esse debet. Etiam apud Graecos aliquando mortui homines lupi cutem induentes apparent.

Johannes Albertus MORENO TORTUERO  
Alumnus Matritensis

SEQUETUR IN PROXIMO NUMERO

# DE FERIIS LATINIS ANTIPOLENTANIS

## (2/VII/1985 - 9/VII/1985)

Feris Latinis Olbiensibus, quae diebus 25/VIII-1/IX anni 1984<sup>i</sup> habitae erant, atque earum relatio in **VOCIS LATINAE** fasciculo 77<sup>o</sup> (anno 1984<sup>o</sup>, pp. 326-330) legi potest, non omnino similes fuerunt Feriae Latinae Antipolitanae.

Anni tempus quod, variis de causis, eligere coacti sumus, id est a die 2<sup>o</sup> ad diem 9<sup>um</sup> mensis julii hujus anni 1985<sup>i</sup> non satis fuit idoneum. Multi enim eorum quos venturos sperabamus, invitationem nostram, sive propter pericula scholastica corrigenda, sive aliis curis prohibiti, recusare debuerunt. Ita factum est ut septem tantum participes per totas ferias adessent, inter quos numerandus est earum Moderator, Pater Suitbertus SIEDL, O.C.D. Eis tamen alii undecim sunt addendi, qui per dies aliquot nobiscum manserunt, vel nonnullas audierunt lectiones, atque ita per se experti sunt latinitatem vivam non esse fabulam quandam omnino ridiculam.

Quae paucitas participantium eo magis dolenda fuit quod "Complexus Scholaris Centri Culturalis" (ut aiunt), cui **SOPHIA ANTIPOLENSIS** nomen est, centenos accipere potest participes.

Est autem **SOPHIA ANTIPOLENSIS** urbs quaedam, non longe ab **ANTIPOLE** (prov. *Antibes*, gall. *Antibes*) in finibus municipii **VALLIS BONAE** (prov. *Vau-Bono*, gall. *Valbonne*) nuper aedificata, in qua inveniri possunt, non solum Lyceum Internationale aliaeque aedes scholasticae in quibus commorati sumus, sed etiam officinae scientificae, industrielles, mercatoriae tum publicae cum privatae, atque domus et tabernae cuiuscumque generis ad vitam tot hominum necessariae.

Unde facile intellegitur globulum nostrum minimum in hac immensitate quasi *Babylonica* paene nihil fuisse. Omnes tamen qui nomen suum dederant ad rectam aedem -fortasse non sine ulla haesitatione vel anxietate- tempore dicto pervenerunt et ad hunc hodiernissimum vitae modum, a quiete et tranquillitate Feriarum Olbiensium valde differentem, cito assuefacti sunt.

Partem Feriarum in locis scholasticis egimus, in quibus erant cubicula nostra et aula studiorum, ab eisque refectorium ducentis fere metris distabat, partem in locis externis. Primum igitur de lectionibus dicemus, deinde de occupationibus externis.

Post allocutionem introductoriam, Pater Suitbertus SIEDL more suo suasit ut participum unusquisque de vita sua quidquam loqueretur. Exemplum ipse praebuit primus. Ceteri eum imitati sunt. Quae consuetudo maxime utilis est ad cognitionem reciprocam confovendam, atque ad linguas exsolvendas.

Nonnullos quoque adhortatus est ut de re aliqua orationem brevem pararent, quam postero die coram ceteris recitarent. Itaque Maria PADOVAN, institutrix, de fide Polonorum et de eorum pietate erga Mariam Virginem in CZESTOCHOVA seu JASNAGORA locuta est, Fortunatus ~~GIACOMINI~~ GIACOMINI, argentarius emeritus, de inscriptionibus latinis quibusquam disseruit, quae passim in viis publicis legi possunt, sicut "CENTRUM", vel "INTRA MUROS", etc, quas inscriptiones latine poni suadet nova societas "VOX EUROPAE"; locutus est etiam Fortunatus noster de Missis Latinis in Africa Nigra cantatis, et de praeconiis latinis quibus, exempli gratia, in quibusdam ephemeredibus, cervisia

Abbadiae Leffensis latine laudatur.

Pater Basilius HYPEAU, O.S.B., non solum tabula atra usus (quae tabula forte tunc alba erat), sed etiam canendo, artem Latinorum metricam nos vividissime docuit. Exposuit etiam quanam ratione monasteria aedificantur, et praecipuarum monasterii partium nomina explanavit.

Clemens Julius MYSCA (C. Desessard), machinator rude donatus, textum oratiunculae "*De Isaaco NEWTON cum VITRUVIO theoria undulatoria conjuncto*", quam is in Conventu Dunelmensi pronuntiatus erat, distribuit, eumque verbis simplicissimis in tabula explanavit; deinde variis quaestionibus respondit hujusmodi: Quid significant verba "soni murus"? "effectus DOPPLER"? etc...

Gaius LICOPPE, medicus et radiologus Bruxellensis, quamquam multis negotiis et ad artem suam et ad causam nostram pertinentibus maxime occupatus erat, apud nos tamen ipse cum sua familia per unum diem integrum humanisse demoratus est. Illius opera factum est ut primam phonocasetam ejus seriei quae "*MELISSAE Emissiones Latinae*" vocantur audire possemus. In qua phonocaseta haec, inter alia, laudanda sunt:

- Interrogationes Patris EICHENSEER ab Inga PESSARA;
- AD MAJORA, carmen;
- De Ludis Augustanis quorum sententia fuit "AMOR DOCET"

*MUSICAM*, et de Jani NOVAK decessu;

- Carmina recitationesque ab aliis clarissimis Latinitatis fautoribus.

Idem quoque nobis in albo projectas ostendit lepidissimas diapositives, quas ipse in Persia (seu Irania) et in Turcia photographaverat, aptissime conjunctas cum phonocaseta Latina explanatoria.

Diana LICOPPE, linguarum classicarum profestrix, commentarium "*MELISSA*" praesentavit, et documentum quoddam parvulum, sed opportunissimum attulit, quod duobus tantum verbis scriptis constat:

### LATINE LOQUI

quibus tertium addendum est: "*amo*", cordis imagine designatum. Quod emblema chartaceum in omnibus locis idoneis conglutinare utilissimum erit, e. g. super autoraedarum nostrarum vitras, sicut nos ipsi statim fecimus!

Nec defuerunt disputationes multae, praecipue de novissimis notionibus latine significandis, vel a Patre Suitberto -qui propter scientiam atque usum quibus pollet linguae hebraicae et antiquae et hodiernae multa de hac re utilia docere poterat- vel ab aliis inceptae. Quarum nonnullae certam conclusionem non habuerunt; e. g. quomodo eleganter significanda sit latine notio illa hodierna quae anglice "*fashion*", gallice "*la mode*" dicitur?

Ultimo die, de Feris Latinis in Provincia proximo anno futuris disputatum est, neque tamen usque nunc locus ullus inventus est huic rei omnino aptus (sicut est TINJA in Carinthia). Lectores igitur nostros rogamus ut hac de re sententiam suam nobis aperiant, a quibus adjuti solutionem optimam eligere possimus. Quo citius, ut aiunt, eo melius!

Partem Feriarum, sicut supra diximus, haud neglegendam

extra Complexum Scholarem egimus.

Cum in complexu illo nullum esset sacellum, Missa quotidiana in ecclesia VALLIS BONAE celebranda erat. Paroeciae Vallisbonensis Curio locos sanctos sacerdotibus nostris benignissime aperuit. Per septimanam, paucissimi incolae nobiscum sacris mysteriis aderant. Dominica autem die, qui fuit dies 7/VII/85, fideles multi convenerunt, qui fortasse decem vel quindecim abhinc annis nullam missam latinam audierant, neque unquam homiliam latinam. Omnia tamen feliciter evenerunt. Ne hospitum nostrorum patientia abuteremur, lectiones lingua gallica tantum recitatae sunt, homilia autem a Patre Suitberto breviter latine et aliquantulo longius gallice prolata est. Qd sine dubio incolis paene omnibus placuit, qui toto corde cantus gregorianos nobiscum, et multo melius quam nos, concinuerunt.

Die 4/VII/85, adiimus ad Centrum Inquisitionum Archaeologicarum, quod ipsum in SOPHIAE ANTIPOLIS finibus situm est. Invitati enim eramus ab ejus Moderatore, Bruno HELLY, viro amoenissimo linguaeque graecae cultore eximio. De cuius Centri muniberis per magnetoscopicam casetam edocti sumus. Cum autem sic occasio technica praebetur, iisdem in locis comoediam Plautinam "RUDENS", cuius casetam Gaius LICOPPE humanissime nobis anno proximo dono dederat, admirari potuimus. Deinde unam ex officinis visitavimus, cui praeest Joannes DESSE, palaeozoologus. Ipse piscium spinas, in locis variis inventas, methodice colligit, examinat, comparat. E quibus studiis mirabilia quaedam deducit, quae non solum ad pisces ipsos pertinent, sed etiam ad vitam praehistoricam, antiquam vel recentiorem eorum hominum qui iis piscibus vescebantur. Unde evenit ut nos inauditum querendam archaeologiae aspectum miraremur, illi vero de linguae latinae utilitate certior fieret.

Archaeologorum consiliis freti, duos viros invenimus doctissimos, quibus ducibus uteremur ad duas urbes antiquas perlustrandas.

Primus fuit Petrus COSSON, litterarum classicorum professor emeritus, atque idem archaeologus. Qui etiam lectionum nostrarum particeps fieri dignatus est, atque ita amicus nobis factus est carissimus. Eo duce urbem ANTIPOLIM ipsam et Musaeum ejus Archaeologicum ~~visitavimus~~, die 5/VII/85. Nobis etiam singulariter concessum est ut, in sacello Sancto Spiritui olim dicato, effossiones inspicremus mirabiles, quibus vestigia ab aetate protohistorica usque ad Medium Aevum pertinentia detecta sunt. Gratias ingentes huic viro doctissimo reddimus, per quem tam multa quae antea ignorabamus, et antiqua et recentiora, de illa urbe didicimus.

Alteri nomen erat Rogerius CASTAGNE. Is, cum Foro Juliensis esset, urbem suam celeberrimam nobis monstravit, die 8/VII/85. Ejus urbis reliquiae Romanae fidelem antiqui oppidi imaginem etiamnunc oculis praebent. Multis enim in urbis partibus supersunt moenia, aquaeductus, portae (quae a Gallia et Roma nomen habent), portus, thermae, amphitheatum, theatrum, quibus addenda sunt vestigia recentiora neque eo minus mirabilia, sicut Cathedralis Ecclesia cum suo antiquissimo Baptisterio. Item nobis singulariter licuit ut in locum intraremus in quo seponuntur effossionum extracta -vasa, instrumenta, etc..., sive integra sive fracta sunt- atque ibi cum archaeologis qui ea

colligunt ~~e~~ eisque student maximo cum gaudio collocuti sumus.

Post meridiem ejusdem diei, autoraedis propriis vecti (duae omnino sufficiebant), aquaeductum Romanum, 40 km. longum, quantum fieri potuit secuti sumus, eumque duobus in locis notabilibus inspeximus et photographavimus. Quorum locorum prior non longe a FORO JULIO distat atque "Arcus Gargalonis" vocatur, eo quod ibi aqueductus vallem rivuli Gargalonis (prov. *Gargaloun*, gall. *Gargolon*) transit. Alter, prope ductus originem, "Rupes Excisa" dicitur (prov. *Roc Taiado*, gall. *Roche Taillée*). Romani enim ibi rupem exciderunt, altitudine circa 10m, latitudine 2m., longitudine 30m., nam in eo loco vallis fit altissima et abruptissima, atque ideo nulla erat solutio melior ad aqueductus clivum optimum obtinendum.

Deinde ad VALLEM BONAM redeentes, per Montes Praealpinos transivimus, quorum nonnulli 1000m. altitudinis attingunt. In loco qui "CAUSSOLS" dicitur brevi constitimus, ubi Observatorium Astronomicum situm est, quod gallice vocatur C.E.R.G.A (*Centre d'Etudes et de Recherches Géodynamiques et Astronomiques*). Ibi a viro quodam sapiente didicimus Geodynamicam scientiam esse motuum Terrae ejusque satellitum (etiam arte factorum). Per anomalias enim satellitum revolventium, quorum motus neque omnino circulares sunt neque perfecte elliptici, anomaliae Terrae, quae nec ipsa perfecte rotunda est neque eamdem ubique densitatem habet, novo modo cognosci possunt.

De his tandem montibus descendimus per vicum GORDONIUM (prov. *Gourdon*, gall. *Gourdon*) qui, super rupem perabruptam aedificatus, vallem altissimam fluminis LUPI (prov. et gall. *Loup*) splendido prospectu supereminet.

Praeterea, quamquam id in programmate provisum non erat, Dominica die (7/VII/85) post meridiem, alteram partem Montium Praealpinorum, magis mediocris altitudinis, transivimus. Per SANCTUM PAULUM a VENCIA et per VENCIAM ipsam usque ad praedium C.J. Myscae pervenimus, quod super oppidum *Gattiero* dictum (gall. *Gattières*) situm est et flumini VARO (prov. et gall. *Var*) quadrigentis metris supereminet. Ibi, secundum viam quamdam satis antiquam neque etiam nunc bitumine stratam postquam longiusculam deambulationem habuimus, vino albo CASTELLI NOVI (prov. *Casteu-Nou de Pape*, gall. *Chateauneuf du Pape*) sitim nostram hilares sedavimus.

Die ~~lundi~~ Martis 9/VII/85, post prandium, cui, propter illius Complexus immensi hominum frequentiam, tum solemnitas cum intimitas illis Conventibus idoneae aliquantulo deerant, sodales ultimi, quorum numerus tunc quinque non superabat, sibi invicem vale dixerunt ut domum quisque suam rediret.

Quamquam in his Feriis multa quae effici potuissent desideranda manserunt, non speramus tantum sed et scimus earum participes operam suam omnino non perdidisse. In hac tamen opella veritatem non offuscare maluimus, ut ad futuras Ferias melius habendas animos nobis addat proverbium illud :

ERRANDO DISCITUR.

P.Basilius HYPEAU C.J. MYSCA

# 10 De FERIIS LATINIS SYRACUSANIS.

Quis non amat Siciliam, insulam inter omnes fortunatam? A die 22° ad diem 31<sup>um</sup> mensis Augusti Ferias Latinas iucundissimas agebamus Syracusis, quam urbem nemo ignorat qui Platonis et Titi Livii et Ciceronis libros aliquando legit... Alii tramine ferrivario Syracusas (quam longum iter!), alii per aerem Cataniam (itinere magno pretio!) pervenerunt et post diuturnam inquisitionem reppererunt istam viam novam quae Serradifalco appellatur, et ubi gratissima domus "Getsemani", muro optime saepa, sita est. Nescio quomodo eam invenerit Silvanus, quem primo mane ex fenestra aspexi sua autoraeda advehentem Mateldam filiam et Vitalem filium et Marcum, amicum Germanum. Beatae amicae nostrae, quae jam in aeroportu autoraedam conduxerant, iam decem dies Siciliam perlustraverant et nos duas (ex Helvetia profectas) paene cottidie ad litus vehebant... Sed iuvenes quoque (plurimi Austriaci) - pedibus! - lautum ibant ad litus propinquum ex nostro colle speciose visum. Itaque quis miretur eas ferias balnearias et "turisticas" factas esse non minus quam Latinas? Haud scio an Pater Suitbertus vere iratus sit quod non omnes semper sessionibus plenariis interfuerunt.

Fuimus (32). Aliquot autem vel tristi vel laeto eventu prius abire debebant, id quod valde dolebamus; nos decem diebus laetissime fruebamur, praesertim quod sorores Sicilianae egregios cibos nobis parabant, quod Siciliae fructus dulcissimi et Siciliae monumenta pulcherrima sunt, quod conventus nostros in horto amoenissimo habebamus. Odilia et Hildegardis et ego valde delectabamur quod cantum Gregorianum cantare poteramus, illum magnificum et nunc derelictum et rarissime cantatum. Maximo nobis gaudio fuit amicam nostram Colettam, musicae peritissimam, ex Lausonio (Lausanne) nobiscum venisse et nobis severam cantus magistrum fuisse. Etiamnunc admiramur patientiam tuam, carissima Coletta, et maximas gratias tibi agimus!

Monumenta Graeca et Romana plurima et pulcherrima in Sicilia esse nemo nescit. Ergo nos 2 itinera fecimus autoraeda longa a viro Siciliano optime gubernata : alterum Taorminam, alterum Agrigentum. (Quanto gaudio tum hora matutina quinta et quadrante ex somno excitati simus, nemo est quin excogitare possit!). Summa voluptate autem meridie Taorminae sedimus in theatro Graeco et admirabamur Aetnam fumantem post scaenam... Et postridie non minore voluptate in via templorum Agrimenti. Quis non audiebat Ciceronem dicentem : "Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro sane sanctum apud illos et religiosum."?

Sed etiam veterem urbem videre potuimus, Georgio Panormitano prudentissimo duce. Quot gressus ascenderimus et descenderimus ad vestigia Romana et Graeca videnda, antequam in aedibus sacris Sextam recitaremus, solus Georgius scire potest. Georgius in universitate Panormitana etiam nunc linguae Arabicæ et textibus antiquis studet; sed iam tanti ingenii est, ut sine ullo labore textum Graecum vel Arabicum in linguam Latinam vertere possit. Et insulam Siciliam optime novit et vehementissime amat et magno cum gaudio monstrat. Cum eo cantabamus et ridebamus et invisiimus Syracusarum pulcherrima monumenta : Fontem Arethusam, theatrum, Dionysii aurem, Latumias, e quibus Cicero Gavium illum miserrimum aufugisse narrat... Cum eo ascendebamus in Euryalam, unde Archimedes classes hostium delevisse dicitur, et ubi tertio saeculo ante Ch.n. Marcellus illacrimasse narratur, "partim gaudio tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis" (Titus Livius).

Quis anno proximo in Feriis Latinis Olbiensibus cognoverat Silvanum Bononiensem? Multum nobiscum cantavit et risit et etiam partes Megadori egit in fabula Plauti quae Aulularia vocatur, et cuius Odilia aliquot textus attulerat. Bene merita es de nobis, Odilia! Te duce amici et amicae iucundissime Plauti textus recitaverunt. Nonne auditis patrem Suitbertum (cum fusco velamento in capite) dicentem : "Ego sum Lar familiaris ..." ? Marcus Euclionis partes egit et Coletta Staphylæ, quam homo avarus "decies uno die ex aedibus extrusit". Ritus noster etiam valde commotus est ab Eunomia, vidua quinquaginta annorum (Hildegardis) et Megadoro (= Silvano!), eius fratre qui avari hominis filiam diligebat...

Aulus amissa velocius inventa a parvo Megadori servo (Ermannus, parvus discipulus Agordinus, ejus partes egit) fabulae finem maturiore fecit quam spectatores optaverant. Quando et ubi alteram Plauti fabulae partem agetis, clarissimi histriones? Fortasse anno proximo in Francogallia meridionali?

Vobis omnibus gratias plurimas!

Valete, cari comites!....

Elisabetha THOSS Luxemburgensis

## DE ATUATUCORUM sequitur p. 6

inferrent, alias inlatum defenderent, consensu eorum pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerant" (II,29,5) et tandem inter finitos dominari (II,31,6) et stipendia obsidesque ab iis exigere consueuerant, e.g. ab Eburonibus (V,27,2), Germanorum Cisrhemanorum fortissimis.

### Adnotaciones :

(1) "Omni Gallia uexata" : hic "ablatiuus absolutus" non "temporalis" est, id est significans "postquam omnis Gallia uexata est", sed "aduersatiuus", id est significans "cum tamen omnis Gallia uexaretur" (id est Gallia quae postea Celtica appellata est). His urchis Neruiorum paucitas Celtarum multitudo comparatur et opponitur. Forsitan e tali confusione in explanatione ablatiu absoluti Camilli Julian error ortus est.

(2) Camillus JULLIAN, Histoire de la Gaule, III, 1920, pp. 53 sq.

(3) II,4,2. "Patrum nostrorum" in hac Remorum "oratione obliqua" significat "Romanorum patrum" : nam , si Caesar "Remorum" significare uoluisset, ei scribendum fuisse non "nostrorum", sed "suorum". Sed id non solum Romanis, sed etiam Remis ualeat ( e. g. Iccii et Andecumborii (II,3,2) patribus).

(4) Pro Neruis cogitari posset de Remis, quorum fines occurrabant cum Neruiorum (et Atuatucom) finibus in uicum Fabricam (uel Fornacem) Philippi (Forge-Philippe), paulo sub Cimaco. Sed, si ita fuisse, de patrum suorum facinore gloriati essent Remi; contra (II,4,3) ironice loquuntur de iis Belgis qui Cimbros Teutonosque intra fines Belgarum ingredi prohibuerint : in hac Remorum sententia inodes resistentium dilucide cum feritate et iactatione Neruiorum congruunt (uide II, 4,8; 15,5).

(5) Quidquid J.M. DUVAL, Une enquête sur les enceintes gauloises de l'Ouest et du Nord, in Gallia, 17, 1959, pp. 41-50, contendit, Caesar, antequam Atuatucom aggressus est, Nouiodunum Suessionum non uera obsidione adortus est, sed tantum id "ex itinere oppugnare conatus... expugnare non potuit. Castris munitis, uineas agere queque ad oppugnandum usui erant comparare coepit". Unde Suessiones his apparatibus "permoti, legatos ad Caesarem de deditione mittunt" ( II, 12, 2-5). Ceterum J.M. Duval falso Atuatucom inter Belgas numerat et iniuria sustinet Atuatucom nouum archetypum Belgicum oppidi inuenisse. Re uera Atuatucom oppidum ante Atuatucom iam stabat. De his omnibus rebus, uide Albertum GRISART, Trois localisations nouvelles..., in Romana-Contact (Braine-l'Alleud), 1972, III-IV, p. 8 et adn. 42, pp. 39-41. Neque in Atuatucom quidem oppidum Caesar minimam ueram obsidionem fecit, sed eos solum uallo circummuniuit, ne ex oppido excursions denuo facerent, quales exercitus Romanorum aduentu fecerant (II, 30,1-2).

Iam nuntiare possumus haec:

QUARTUM SEMINARIUM VESTENDENSE

habebitur, ut solet, in aedibus "ZON EN ZEE" a die 16° in diem 23<sup>um</sup> m. Augusti a' 1986°.

Dr.P.Caelestis EICHENSEER sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum.

Litterae interrogatoriae mittendae sunt ad Dr G.Licoppe, av. de Tervueren B-1040 Bruxelles.(Tél. (02) 7350408)

FERIAE LATINAЕ

in castello  
"LA CASTILLE"

F-83260 LA CRAU Tel. 94 66 72 91

23. VIII - 30.VIII.1986

Litterae interrogatoriae mittendae sunt ad M.C. Desessard, Résidence des Collines, C.9., rue Léon Brun, F-06210 Mandelieu (Tél. 93 49 01 91)

---

NUNTIA EX ORBE LATINO

---

**EX BELGICA.**

Mense Octobri pleraque diaria Belgica aliquid mirum nuntiaverunt: "Brugarum mirabilia nunc lustrari possunt verbis etiam Latinis demonstrata". Infra ostenditur quomodo res nuntiata sit e.g. die 23° m.Oct. a'1985° in diario "HET NIEWSBLAD":

# Het Nieuws

Brugge-Oostende-Kust

Peregrinantes a ducibus brugensibus Latine circumagentur (\*)

Post hoc nuntium, statio televisifica Luxemburgensis R.T.L. rem ipsa experiri voluit. Sic evenit ut die dominico 27° m.Oct., autocinetu stationis R.T.L. vecti, Diana Gaiusque Licoppe una cum diurnario Van Den Biggelaare et duobus technicis iter facerent Bruxellis Brugas, ubi hora undecima sub praetexta turri speculatoria constitutum habebant cum Paulo Elsen, mystagogo qui iam bis gregi seminarii Vestendensis mirabilia monumenta regionis Brugensis Latine monstraverat. Paulus mystagogus nos statim per vias et plateas duxit Latine mire facundus, dum technici rem instrumentis audivisificis recipiunt. Diurnarius etiam cupiebat Paulum de rebus cottidianis loquentem audire. Eum e.g. rogavit ut nummos insereret in machinamentum quo autoradariis distribuuntur tesserae areae stativae. In fine diurnarius Gaius Licoppe etiam rogavit ut quam paucissimis verbis exprimeret proposita Societatis Latinae et generaliter Latinitatis Vivae fautorum. Eodem die inter vespertina nuntia Belgis destinata imagines verbaque divulgata sunt. Hora circiter undevicesima et dimidia spectatores stationis Luxemburgensis, plerique obstupefacti, aliquid de rebus Latinis novis, oculis auribusque, percepserunt.

**EX FRANCOGALLIA**

Tristissimus nuntius nobis allatus est: Professor Michaël RAMBAUD Lugdunensis die 22° m.Septembris vita defunctus est. Litteras Latinas ab anno 1957 docebat in universitate studiorum Lugdunensi. Multa de Caesare scripsit. Unus erat ex Vitae Latinae moderatoribus iam ab initio huius motionis. Sodalis erat "Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae". Cum eo, mense Augusto, id est perpaucas septimanias ante eius mortem, in conventu Dunelmensi de variis propositis collocuti sumus, inter quae summa actorum Vitae Latinae ab origine, quam parabat in proximo centesimo numero edendam.

**EX FOEDERATIS CIVITATIBUS SOCIALISTICIS SOVIETICIS.**

"Melissae" fasciculus 8<sup>us</sup> quem munificentiae tuae liberalissimae debo gratus et utilis ad me pervenit, multa continens ad causam Vivae Latinitatis pertinentia, cui pariter studemus.

Gratulor tibi, Domina Illustrissima, de fundatione Melissa suo iure condita quam spero fore optimam adiutricem Academiae Romanae Latinitati inter omnes gentes et nationes fovendae.

At nostris diebus cum toti mundo atra nubes mortis nuclearis impendeat praecipui momenti est quidquid potest id periculum elevare aut praepedire. Talis nimurum est Viva Latinitas, candidum instrumentum pacifici commercii inter omnes populos et gentes. Hac mente animati, iterum atque iterum Latinitatem colamus. Vale.

Grato animo.

Jacobus Borovskij Leninopolitanus.

Leninopoly, 12 XI 1985.

# De MELISSAE EMISSIONE LATINA PRIMA.

Primam phonocasetam quae inscribitur "MELISSAE Emissiones Latinae" (in quo titulo animadvertisendum est primis verborum litteris vocem MEL formari, ut melissam - id est apem - decet), perliberenter audivi, ob materiarum varietatem et Latini sermonis integritatem.

Emissionis incipientis signum dat "Fuci volatus" ille, cuius modi musici quam optime electi ad hunc usum mihi videntur, non solum propter similitudinem fucorum cum apibus, - etsi fucus non tam bene quam apis audire solet, teste Vergilio cum "ignavum fucus pecus" notat, - sed etiam propter musici ipsius nominis priorem partem, scilicet RIMSKI, id est Russice "Romanus". Nomen omen!

Post fuci volatum illum, aliquot verba de Fundatione MELISSA et de harum emissionum Latinarum proposito audiuntur, deinde Pater Caelestis Eichenseer Saravipontanus interrogatur de emissionibus Latinis quae praeterito tempore fuerint. Ita, inter multa mihi quidem ignota, primum audivi "circiter annum millesimum nongentesimum undequadragesimum in Aegyptiaca statione radiophonica Cairensi septimanatim emissiones latinas per quadrantem horae diffusas esse". Mirabile auditu! Cur, quomodo, quamdiu; praesertimque quorum hominum causa illae ~~emissiones~~ <sup>fiebant</sup>? O tempora, o mores! Quod fieri potuit in terra ubi fere numquam hominum memoria sermo latinus auditus est (nam veri simillime est C. Julium, M. Antonium ceterosque Romanos, cum amorem suum venustae Cleopatrae effundebant, graece, non latine, susurrisse), non

licebit in Europa ipsa, cui nihil cultus, nihil doctrinae, nisi quod a Roma profectum est!


Sed ad phonocasetam redeamus: inter duas jucundissimas cantilenas (quarum verba velim in MELISSA edantur, nam longe abest ut omnia intellexerim, quod valde doleo), sermo in Ludos Augustanos superiores transfertur, de quibus rogati breviter respondent duo participes, unus Germanus, alter Italus. Tum Japonem poetam, summa cum elegantia latine loquentem, audimus, quin etiam perfacile intellegimus. O rem admirabilem! Fieri igitur possit ut cum Japone Ciceronis lingua colloquamur! Eheu, perpauci esse videntur qui in Japonia latine discant. Itaque non miramur illud S.O.S. ("Succurrite Orientalibus Sodales") quod in fine orationis suae proclamat voce quam clarissima poeta noster.

Sequuntur colloquia alia, tam jucunda quam utilia, denique recitatio duorum "textuum classicorum" (ut dicunt), quorum unus soluto sermone ex Apollonii regis Tyri historia, alter ex Ovidii Metamorphoseon versibus excerptus est, uterque clare ac plane lectus.

Concluditur phonocasetta salutatione ad audientes dicta, cum promissione alterius Latinae Emissionis conficienda.

Nihil superest nisi ut iis qui hanc phonocasetam conficiendam curaverunt quam maximas agamus gratias et plaudentes clamemus: Macte virtute estote, generosi Latinitatis vivae fautores, atque pergitte quo coepistis!

G.A. BERGERE.



RUDENTIS operis cinematographici omne genus videocasetarum peti potest. Litteras interrogatorias ad Melissam mittantur.

## LUSTRATIO LITORIS BELGICI

Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici.

Premium est 120 Fr. B. inclusis sumptibus cursualibus.

## MELISSAE EMISSIONES LATINAE

Prima phonocasetta unius horae perfecta est.

Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis.

Pars etiam dedita est textibus classicis.

Premium phonocasetae est 250 F. B., inclusis sumptibus cursualibus.

**LATINE LOQUI** ♥ Hoc adhaerenti pittacio significare poteris te Latinitatis Vivae cultorem esse. Unus venit 50 F.B. - Tres veneunt 100 F.B.

Pecunia mittatur ad computum mandatorum cursualium Bruxellensem (CCP.

Bruxelles), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.

Ii extra Belgium habitantes, qui pecuniam mittunt ad computum, cui index "AMICI MELISSAE", instanter rogantur ut tantum alterutro ex his duobus solvendi modis utantur:

-mandatum cursuale internationale

-Europaea assignatio argentaria (Eurochèque), ubi premium solvendum francis Belgicis indicari debet et ubi numerus chartae argentariae eius, qui pecuniam mittit, etiam inscribi debet.

Cum ceteri solvendi modi adhibentur, tanta pars pecuniae accipiendae argentaria praecipitur, ut plerumque vix quicquam supersit. Gratias.